



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatus De Fiducia In Deum Plurimas Et Utilissimas pro
vitâ spirituali instructiones Continens, Præcipue Ad
Obtinendam magnam animæ quietem, & afflictiones
quascunque ingenti cum solatio & fructu ...**

Dusault, Nicolas

Coloniæ Agrippinæ, 1660

§.1. Motivum quod habuit S. Polycarpus non offendendi Deum, quodque
nos habere debemus sperandi in eo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50333)

CAPUT VII.

Sextum Motivum ductum ab experientia
præteritorum, ut benè speremus
de futuris.

§. I.

*Motivum quod habuit S. Polycarpus non offen-
dendi Deum: quodque nos habere
debemus sperandi in eo.*

S Polycarpus gloriosus Christi Martyr
cum urgeretur a tyranno ut JESU
Christo malediceret, pio invictoque a-
nimo respondit: Octoginta annis jam illi ser-
vio, & nihil me læsit unquam, quomodo
possum maledicere regi meo qui vitam mihi
donavit. Rectè subjungere potuisset, non so-
lum deesse sibi linguam ad maledicendum,
& cor, vel ad concipiendam tam barbaram
Sacilegamque vocem; Verùm etiam omnia
membra corporis sui omnesque animæ fa-
cultates esse totidem linguas & totidem cor-
da quibus illum laudaret, sine intermissione
grato animo recclens beneficia sibi collata;
& conferenda in posterum certâ cum fiducia
sperans. Qui duo affectus sunt à se invicem
inseparabiles; Cur enim non speret bona ab
eo, a quo maxima quæque acceperat: quem
erat

erat expertus tam beneficum in prospiciendo suis necessitatibus: tam promptum in succurrendo: tam suavem & efficacem in consolando se in adversitatibus? Si quis princeps sibi foedere junctos, suæque fidei & tutæ commissos potenter tueatur & protegat, dignus sanè est, cujus amicitiam omnes populi exoptent & ambient; & Deus qui neminem unquam fecellit, aut ope suâ destituit, qui cuncta perfectâ cum fiducia imploravit, sed e contra omnipotenti divinæ protectionis suæ virtute sperantes in se reddidit formidabiles hostibus suis atque insuperabiles. Hic inquam non mereatur, cui creaturæ omnes serviant & sacramentum dicant? Nunquid in eum velut in aram refugii atque asylum intemus semper oculis merito deberemus respicere? Eam in prosperis atque adversis ut supremum protectorem nostrum, ut consolatorem optimum assiduis precibus invocare?

§. II.

Deus nunc aequè bonus, aequè liberalis est, ut unquam fuit.

Iam verò non sumus tam amentes ut persuadeamus nobis alium nunc mundo rectorem præsidere; quasi Deus Opt. Maximus qui ante & post diluvium mundi gubernaculo